



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quomodo procedendum sit, si appellatio sit deserta? & an prosecutio
appellationis desertæ impediat, ne sententia transeat in rem judicatam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

S E C T I O IX.

De cessatione, aut revocatione, renuntiatione, & defensione appellationis,

§. I.

An & quomodo per revocationem Judicis, & per renuntiationem cesset, & tollatur appellatio?

SI Judex (sive ordinarius ille sit, sive delegatus) qui partem litigantem gravavit, & à quo ratione hujus gravaminis appellatum fuit, postea ab hujusmodi gravamine desistat, illudque revocet, cessat appellatio. *c. Cum cessante 60. h. t.* quia cessante causâ (finali scilicet & principali & quidem adæquate, non autem tantum impulsiva) gravamine scilicet cessat etiam effectus, appellatio scilicet prout supra etiam insinuatam, & de interlocutoria intelligendum, quam revocare potest Judex à quo, intra decendum ad petitionem partis adversæ, vel ex officio etiam postea, (cùm respectu Judicis non transeat in rem judicatam) etiam in vitis partibus & pendente appellatione. Cessat etiam & tollitur appellatio per renuntiationem, sive hæc expressa sit, sive tacita, expressè scilicet desistendo ab appellatione: quod potest facere, qui appellavit, si res adhuc sit integra, tacitè verò actum contrarium appellatione exercendo intra debitum tempus non preceado Apostolos, aut non introducendo appellationem &c. quibus in casibus sumptus, si quos fecit, ra-

tionem appellationis talis adversarius, retinere debet, qui appellavit, & de appellatione jam cessat.

§. II.

Quomodo procedendum sit, si appellatio sit deserta? & an prosecutio appellationis deserta impediat, ne sententia transeat in rem judicatam?

IN causis quibusdam, electionum, & aut alijs beneficialibus, in quibus superior non tantum ad instantiam potest, sed ex officio procedere potest, potest Judex appellationis proprio motu & ex officio procedere, de meritis causæ & impedimentis oppositis cognoscere & super quibus appellatum fuit, etiam appellans appellationem deseruit, & que enim talis desertio officio Judicis præjudicat, cùm sint diversi modi procedendi, per viam actionis ad instantiam partis, & ex officio Judicis, in quamvis unus tollatur, non tollitur tamen alter modus, prout sumitur ex *Constitutis 45. h. t.*

Neque prosecutio appellationis impedit, quominus sententia, à qua appellatum fuit, transeat in rem judicatam, ac si ab ea appellatum non fuisset, si deserta fuit talis appellatio, juxta *Constitutum Si appellatio. 6. h. t.* Sicut enim per lapsum temporis ad appellandum constitutum, si intra illud tempus non appellatur, ratificatur prior sententia & in rem judicatam transit, ita manet illi sententiæ suum robur, etiam si intra tempus debitum ab ea appellatum fuerit, si tamen postea deserta fuit appellatio.

quamvis iterum suae desertionis pœnitens eam prosequatur, ac si ab ea appellatum non fuisset, & consequenter transit in rem iudicatam, ita ut sententia à Judice ad quem lata, contra priorem sententiam à Judice à quo latam, nulla sit, velut lata à non legitimo Judice & contra rem iudicatam.

SECTIO X.

De Recusationibus & relationibus.

§. I.

Quid sit recusatio, & quomodo cum appellatione conveniat, vel ab illa differat?

Recusatio est Judicis & jurisdictionis Riptius, proposita causâ suspicionis declinatio, eo quod Judex v. g. ex causa verosimili suspectus sit, ut scilicet majore sinceritate lites procedant. *can. Quod suspectus, causa 3. q. 3. c. Causam. 17. & c. Suspicionis. 39. de Officio deleg.* Convenit in aliquibus cum appellatione, in multis tamen etiam differt, Conveniunt inter se primò, quod sicuti per appellationem receditur ab audientia Judicis, ejusque Jurisdictio suspenditur, ita etiam fiat per recusationem; quâ pendente non potest actum aliquem judicialem Judex recusatus exercere. Secundo equiparantur, quoad modum proponendi, ut sicut sine justa & rationabili causâ expressâ non admittitur appellatio ab interlocutoria, ita nec recusatio Judicis. Tertio in eo etiam conveniunt, quod sicuti regulares possunt

appellare à correctione superioris, si modus in ea excedatur, ita possit etiam superior recusari, si valde suspectus esset, & ob passionem excessurus putaretur in corrigendo, dummodo manifesta sit causa suspicionis. Differt autem appellatio à recusatione. Primò quod recusari possit Judex, etiam si non graver, cum tamen appellari non possit à Judice nisi graver. Secundo quod recusari aliquis non possit Judicem, in quem consensit, cum tamen ab hoc appellare possit. Tertio quod à Vicario generali aut officiali non possit appellari ad Episcopum, possit tamen coram hoc Vicarius v. g. recusari. Quarto quod in eadem causa non liceat tertia appellatio, possit autem post secundam appellationem Judex recusari &c.

§. II.

Quando, & quomodo fieri possit, recusatio Judicis, & quis sit illius effectus?

PROponi debet recusatio Judicis intra 20. dies post libellum ante contestationem litis; quia recusatio hæc ad dilatorias exceptiones pertinet, ante litis contestationem proponendas, ne agendo aut respondendo coram illo videatur eum ut Iudicem approbare. Sicuti autem 20. dies de utroque jure conceduntur parti ad deliberandum, utrum litigare velit, ita hi etiam subservient ad recusandum Iudicem, nisi notorium sit eum carere jurisdictione; vel judicium subeat de excommunicatione v. g. actoris, cum protestatione, ut salva sibi maneat recusationis exceptio, vel post

Eff 2 licem